AD

GENEROSUM VIRUM TYCHONEM BRAHEUM DE KNUDSTRUP,

cognatum et Affinem suum desideratissimum.

IN ZOILOS,

MALEVOLOS ET INSCIOS.

Urania abstrusos, quamuis neglecta, recessus
Quos habitare datur magnis celso aethere diuis,
Ignotasque uias Coeli, motusque perennes
Dum nouisse sinit, tibi Tycho ea sacra recludens,
Circum quae celsos agitari conspicit axes,
Nilque morata tamen turba inscia et inuida, sannis
Excipit ac stolido nec dum perspecta stupore
Uellicat, exagitat, fraudes meditatur et astus,
Inuentasque serunt technas, infandaque uibrat
Tela, sed in solido sese infringentia scuto,
Illustres quos forte queat turbare labores.
Sufficit ast ipsi sibi semper, ut undique uirtus
Nec nugas moresque hominum curatur inanes.
En modo diuinis (mirum) conformia sacris
Organa producis, quibus altum subdere Coelum
Ingenio potes ipse tuo: Procul ite prophani:
Sunt haec uirtutis, sunt Gorgonis aemula uultus:
Sunt maiora etiam; nec enim quae lurida, curant,
Aut quibus extinguant prauas male conscia mentes
Inuidia atque odium: Tandem haec concussa uel ipso
Obtutu cen saxa stupentque silentque rigentque.
Quin etiam ignaros, quibus haec adeo Enthea sordent,
Quis neget et truncos, hominisque in corpore beluas?
At te Tycho imis Superum penetralibus infer;
Quodque facis, Mundi ex alto deliria ride
Immundi, strepitusque humiles, et nescia sortis
Pectora quam diui dispensant tramite iusto;
Stansque uado fluctus imbres et flamina temne.

OLIGERUS ROSENKRANZIUS
G. F. de Rosenholm F.